

mortem vicarii relictam et ad optionem spectantem si voluerit optare, sed si senior huiusmodi domum non acceptaverit, in perpetuum optione privabitur. Exinde senior qui eum sequitur ex ordine etiam si voluerit domum istam optare potest, quam si quoque dimiserit, possunt semper quos ordo ex senio tetigerit optare, et non optantes debent in posterum optione carere. Sed nullus vicariorum (nisi residens fuerit) ad optionem domorum admittetur. Debent autem vicarii residentiam servare et se in his aliisque hic non expressis canonicis huius ecclesiae conformare.

Nach dem Statutenbuche im Stiftsarchiv zu Meissen fol. 17—21. (Vgl. oben S. 313.)

No. 1391. [Um 1528.]

Statuta et consuetudines ecclesiae cathedralis Misnensis fere omnes personas eiusmodi ecclesiae concernentes.

Primo omnes personae sub divinis intrando et exeundo chorum inclinant se ad orientem et occidentem, praelatis reverentiam exhibeant, in cantando et legendo consuetudinem chori observent. Item quod omnes summis missis vesperis et completoriis precibus intersint, nisi causae rationabiles excusent, canantque cum choro et legant nec levitates fabulando et ridendo exerceant nec ex libellis eorum orent, sed cum diligentia chorum ac cantum respiciant. Item plebanus cum ministris post primam consuetudinem laudabilem in horis dicendis in choro diligenter observent. Item ambulare volentes licentiam ut moris est recipiant disponantque vices suas, praecipue procuratores canonicorum et vicariorum absentium in eorum absentia de praesentibus pro choro distribuendis ordinent, ut negligentiae non committantur in distributionibus praesentiarum ut vocant. Item omnes diebus dominicis et festivis in circuitu sint nec nisi ex causis valde rationabilibus se absentent. Vicarii habentes quotidianas missas de eis iuxta confirmationes eorum disponant et habentes lecturas similiter ipsis ordinent, ut missas celebrare non negligant. Provisores cantantes versus et lectiones legentes in matutinis et vigiliis prius bene respiciant, antequam cantent vel legant, ne sibilationes strepitus et insolentiae ex eorum inadvertentia committantur. Item quod diaconus in missa officium cum suis collectis et praefatione et provisor in vesperis precibus collectis cum versiculis quaerant et de his plebanum informet, ne negligentiae fiant. Si ex causa rationabili aliquem ex provisoribus chorum exire oportet, alium statim in locum suum subrogare debet, et quod hi qui debent et tenentur antiphonam incipere versus cantare aut lectiones legere per aestatem in matutinis in choro maneant secundum ordinem, vel saltem cum diligentia respiciant, ne provisos quaerendo eos chorum exire cogantur. Item quod personae ecclesiae cum vestimentis indecentis coloris ecclesiam non intrent nec inutiles hinc inde circuitus faciant in eadem. Vicarii perpetui volentes esse participes praesentiarum in stallis vicariorum stare debeant, et tempore quo cappis utendum est in illis stent. Item distributiones et praesentiae in aliquibus festivitibus et anniversariis infra sequentiam vel ‚Agnus dei‘ administrari debent, prout voluntas ultima qui ordinarunt fuit, et qui usque ad hoc tempus maneant in divinis praesentias habebunt. In missis defunctorum personae absque rationabili causa chorum nisi post ultimam ‚Kirieleison‘ non exeant, alioquin si secus fecerint distributionibus carebunt. Item personae in domo sacellanorum dormientes se debito tempore ad lectum ponant, nec una aliae in somno per clamores strepitus instrumenta musicalia impedimentum faciat. Item sacellani etiam vicariorum singulis diebus in aestate matutinas sicut sacellani dominorum visitent. Item hebdomatarius incipiens aliquam horarum de choro non exeat, nisi alium in locum suum subrogaverit, ne committantur negligentiae, et quilibet iuxta foundationem beneficii sui et fundatoris mentem se gerat, in quibus omnibus conscientia uniuscuiusque onerata esse debet, ut cogitet quisque de negligentibus suis commissis iudicem ac iustum iudicem habiturum. Item nullus debet intrare chorum et se aliis